✱ et brachium ſanctum ejus.

Notum fecit Dominus ſalutare ſuum ; ✱ in conſpectu gentium revelavit juſtitiam ſuam.

Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ : ✱ et veritatis ſuæ domui Iſraël.

Viderunt omnes termini terræ ✱ ſalutare Dei noſtri.

Jubilate Deo omnis terra : ✱ cantate, et exultate, et pſallite.

Pſallite Domino in citharâ, in citharâ et voce pſalmi : ✱ in tubis ductilibus et voce tubæ corneæ.

Jubilate in conſpectu regis Domini : ✱ moveatur mare, et plenitudo ejus ; orbis terrarum et qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt à conſpectu Domini : ✱ quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in juſtitiâ ; ✱ et populos in æquitate

Ant. Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens ; ſurge et accipe puerum et matrem ejus, Et fuge in Ægyptum. Alleluia.

V. Conſtituit eum dominum domûs ſuæ, alleluia.

R. Et principem omnis poſſeſſionis ſuæ. alleluia.

Pater noſter.

Abſol. A Vinculis &c.

Benedictio. Evangelica Lectio &c.

Lectio VII.

Lectio ſancti Evangelii ſecundùm Lucam. *Cap.* 2.

IN illo tempore : Ut perfecerunt (Parentes Jeſu) omnia ſecundùm legem Domini, reverſi ſunt in Galilæam, in civitatem ſuam Nazareth. Puer autem creſcebat, et confortabatur, plenus ſapientiâ ; et gratia Dei erat in illo. Et reliqua.

Homilia ſancti Ambroſii Epiſcopi. *Cap.* 2. *in Luc.*

DUÆ ſunt in Chriſto generationes : una eſt paterna, materna altera, Paterna illa divinior ; materna verò quæ in noſtrum laborem uſumque deſcendit. Et ideò quæ ſuprà naturam, ſuprà ætatem, ſuprà conſuetudinem fiunt, non humanis aſſignanda virtutibus, ſed divinis referenda ſunt poteſtatibus. Alibi eum ad miniſterium mater impellit, hîc mater arguitur, quia adhuc, quæ humana ſunt exigat. Sed cùm hîc duodecim deſcribatur annorum, illic diſcipulos habere dicatur ; vides matrem didiciſſe à Filio, ne exigeret à validiore miniſterium, quæ ſtupebat in juniore miraculum.

R. Benedictus qui venit in